ANNOTATIONES AD LUCRETII EPICURI INTERPRETIS DE ANIMAE NATURA DOCTRINAM.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE IX M. MAII A. MDCCCLXXXIV HORA XI

PUBLICE DEFENDET

SCRIPTOR

MAXIMILIANUS EICHNER

SORAVIENSIS.

ADVERSARII ERUNT:

E. SPIEKERMANN, CAND. PHIL.
A. BOECKLER, CAND. PROB.
A. SCHULZE, STUD. THEOL.

SORAVIAE

TYPIS J. D. RAUERTII

MDCCCLXXXIV.

ERNESTO FRIDERICO

FRATRIBUS.

Caput primum.

De quarta animae parte, quae nomine vacat.

Lucretius cum id potissimum sibi proposuisset, ut hominum animos a mortis formidine liberaret, omnibus viribus enisus esse omnesque videtur contendisse nervos, ut de animae natura doctrina Memmio probaretur, qua effici voluit, animas esse mortales mortemque esse interitum omnia tollentem atque exstinguentem. Haec totius Epicuri physicae doctrinae summa libro tertio exposita est. In eo omnes qui Lucretii libris operam navarunt consentiunt, ut eum Epicuri fidelissimum interpretem esse dicant: quamobrem nullo modo discipulus magistri doctrinam mutavisse putatur, ad illustrandam[1]) autem philosophiam addiderit quaedam necne de eo disputare potest. Iterum iterumque Lucretianum carmen legentem me multi loci offenderunt, quibus philosophi verba

---

[1]) Reisacker. Quaestiones Lucretianae. Bonn 1847 pg. 37. „diversitas quae inter magistrum et discipulum intercedit non tam in ipso argumento quam in eius tractatione est conspicua". Hirzel. Untersuchungen zu Cicero's philosophischen Schriften I pg. 98, Anm.: „Was sich bei Lucrez als Differenz fassen läßt, das berührt nicht den Kern, sondern die Form, die Darstellung der Lehre und fällt zumeist dem Dichter, nicht dem Philosophen zur Last." Bindseil: Quaestiones Lucretianae. Anclam 1867 pg. 29: „illae diversitates, quae ex ipsa Lucretii natura et indole quasi sua sponte manaverunt, neque probant consilium fuisse Lucretii, ut Epicuri doctrinam corrigeret, id quod se facturum esse ipse negat, neque tales sunt, quae ipsam Epicuri rationem valde mutare valeant — recessit ab eo rerum et sentiarum explicandarum ratione."

sibi non constare viderentur. Harum difficultatum quamquam magnam partem[2]) licentiae quae poetis conceditur tribuendam esse perspiciebam, tamen aliae restabant, quibus etiam Epicuri philosophiam deformatam esse inveni. Eo autem cautius me in hac re versari debere existimavi, quod ne doctissimos quidem interpretes sanam depravatae Epicuri philosophiae medelam attulisse cognoscebam. Neque horum auctoritate mihi persuaderi passus sum, talem ab Epicuro et Lucretio profectam esse de animae natura doctrinam, qualem vulgo in libris explicatam legimus. Quapropter in hanc potissimum carminis Lucretiani partem operam impendi quidque efficisse mihi viderer, probabilibus, ut spero, instructus argumentis fretusque priorum interpretum dubitationibus hac disputatione in medium proferre institui. Quamquam non fore crediderim, ut exiguis meis viribus difficillima haec de animis quaestio absolvi posset, coniunctis enim multorum studiis opus est, tamen pauca proferre mihi sumo, quibus viri docti diutius in Epicuri philosophia versati ad hanc quaestionem denuo perlustrandam adducantur. Praeter Rit-

---

2) Uno exemplo hoc loco defungi in animo habeo, quippe in quo Bockemueller haerendum sibi esse putaverit. Libri quarti vv. 907 sqq. Lucretius de somno explicat „quibus ille modis per membra quietem inriget atque animi curas e pectore solvat.“ In somno animae pars maxima perturbata est, ut quae eius sunt praestare non possit: iacet enim corpus sine sensu. Eodem tempore cum somnus membra profudit „mens animi vigilat“ eisdemque simulacris agitatur, quae cum vigilamus in animum obrepunt. Inde fit, ut animus dormientis omnes accipiat in se „laetitiae motus et curas cordis inanis“. III 116 IV 962 sqq. Versu autem 908 somnum e pectore animi curas eripientem poeta praedicat. Quam inconcinnitatem ut removeret Boekemueller legendum esse opinatus est „animae vires.“ In verbis autem „animi curas“ quae ille incondite vertit „fürsorgliche Leitung des Geistes“ nulla est offensio. Cum enim ex vulgari sententia somnus animi curas atque sollicitudines e pectore demere putaretur, apte Lucretius hanc consuetudinem in illius partis fronte in suum usum convertit, quamquam infra in philosophica parte plane contrariam sententiam de somno protulit. Cf. Cic. de div., II 150: „Perfugium videtur omnium laborum et sollicitudinum esse somnus. At ex eo ipso plurimae curae metusque nascuntur.“ Eiusmodi diversitates identidem apud Lucretium occurrunt.

terum, Brandisium, Steinhartium[3]), Zellerum, Langium[4]) vv. ill. Reisacker[5]) Epicuri de animarum natura doctrinam a Lucretio discipulo tractatam exposuit. Huius commentationi ita se addixerunt viri docti, ut totam quaestionem omnibus numeris absolutam nihilque superesse putarent, de quo posset disputari. Cum vero Reisacker quasdam difficultates omnino non detexisset, alias parum recte solvere studuisset, fieri non potuit, quin ei, qui eum secuti carminis scripturam emendare studerent, in magnum errorem delaberentur. Quae ne temere pronuntiasse videamur, vide coniecturas, quibus Susemihlius[6]) praeeunte Christio[7]) et Ribeckius[8]) vv. ill. libri tertii versum 118 non tam correxerunt quam depravarunt. Primus Woltjer[9]) quibus vitiis Reisackeri disputatio laboraret, dilucide aperuit.

Satis notum est veterumque testimoniis confirmatum Epicurum *τὴν ψυχήν* constare voluisse ex quattuor partibus: *προσεμφερέστατον δὲ πνεύματι θερμοῦ τινα κρᾶσιν ἔχοντι καὶ ἀέρος*[10]) . . . *ἔστι δέ τι μέρος* e. q. s. Diog. Laert. X 63. Iam quaeritur, quomodo hae quattuor partes apud Lucretium inter animum et animam sint distributae. Atque Reisacker (l. l. pg. 21) affirmare non dubitavit, tres partes, auram, calorem, aerem efficere animam, quartam autem animum. Haec pars cum sola sensus particeps esse dicatur[11]), animus solus in nobis sentit. Quam-

---

[3]) Encyclopaedie von Ersch und Gruber Vol. XXXV.

[4]) Geschichte des Materialismus. Iserlohn 1866.

[5]) Epicuri de animorum natura doctrina a Lucretio discipulo tractata. Prgr. Coeln 1855.

[6]) Phil. XXII pg. 31 Anm.

[7]) Quaestiones Lucretianae. München 1855 pg. 19.

[8]) Rhein. Museum XXX pg. 634.

[9]) Lucretii philosophia cum fontibus comparata. Groeningen 1877.

[10]) De hac Woltjeriana coniectura (pg. 62) cautissime iudicat Purmanus in „Jenaer Litteratur-Zeitung 1879 pg. 414: „ist vielleicht nicht zu gewagt.“

[11]) Lucr. III 238. Lachmanni numeris utor. Pseudo-Plutarchi Placita philosophorum IV 3. 5. Stobaeus ed. Meineke I 798: ὃ ἦν αὐτῷ αἰσθητικόν — τοῦτο δ' ἦν αὐτῷ τὸ αἰσθητικόν.

quam fere omnes quae de quarta parte praedicantur facultates etiam animo tribuuntur, recte tamen Woltjer monuit, discrimen interesse inter animum et illam nominis expertem substantiam, et saepe opportunitatem oblatam fuisse Lucretio hanc „identitatem" exprimendi multoque brevius poetam omnia potuisse explicare, si animum solum totumque ex ea parte constare voluisset. In hanc igitur sententiam inclinat, ut „intimam mentis partem e quarta nominis experti parte constare putet, cum ceterae tres inter animum et animam sint divisae." (l. l. pg. 70.) Hanc quam probat explanationem in Bursiani Annalibus X pg. 74 Brieger cum Tohtei verbis consentire monet. Ecce eius verba: „Sie (sc. ψυχή, anima) zerfällt in zwei Theile, einen vernünftigen und einen unvernünftigen. Der erstere, aus feineren Atomen bestehend als der andere, ist bei Epikur τὸ λογικόν oder sofern von ihm die Denkthätigkeit ausgeübt wird, ἡ διάνοια. Lucrez nennt ihn animus oder mens. Er besteht aus vier verschiedenen Substanzen, deren vierte namenlose wieder von einer ganz besonderen Feinheit und deshalb am beweglichsten und für die geistige Funktion die wichtigste ist. — Der andere unvernünftige Theil der Seele wird τὸ ἄλογον genannt und führt bei Lucrez insbesondere den Namen anima. Er ist παρεσπαρμένον παρ' ὅλον τὸ ἄϑροισμα."[12]) At ne quid dissimulem, me nec Liegerum hanc explanationem cum Woltjeriana congruere iudicantem intelligere nec verba ipsa ingenue confiteor. Si enim quattuor illae partes animum efficiunt, e qua substantia constat anima? Monuisset vellem Brieger, Munronis sententiam, quam profert ad l. III v. 381 a Woltjeri explicatione non abhorrere. Lachmannus quid senserit de hac re non liquido constat. Attamen e versibus 238 sqq. — a most doubtful passage — qui totius quaestionis cardo mihi quidem videntur esse, cognoscitur, virum doctissimum a vero aberrasse. Duobus enim vitiis laborat coniectura, qua locum corruptum sublevare studuit, quippe quam non modo gram-

---

[12]) Epikurs Kriterien der Wahrheit. Clausthal 1874 pg. 3.

maticae[13]), sed ne Lucretii quidem sensui convenire viri docti viderint. Cum „sensus" mentionem in versum 239 inferendam esse censeret et pro vocabulo, quod codices exhibent „mens", scriberet „quem" versumque 239 ab insequenti interpungendo seiungeret, recte vituperatus est a Goebelio et Purmanno. Iacet etiamnunc loci depravati interpretatio: quotquot enim inde a Lachmanno viri docti coniecturas proposuerunt, nulla ita est comparata, ut poetae sententiae satisfactum esse videatur. Atque Purmannus huius loci corruptelam reconditiorem esse putavit, quam quae posset sanari. Et re vera horum versuum explicatio tot tantisque difficultatibus obstructa est, ut sperare non liceat, quemquam sanam eis medelam posse afferre, nisi qui eam ab Epicuri physicorum conexu ac ratione petierit. Itaque prius in omnes quae obviam fiant in doctrina de animarum natura difficultates neque poetarum licentiae tribui possint, inquiramus necesse est, quam ad illum locum emendandum aggrediamur.

Sensuum apud Epicureos auctoritas fuit maxima. Non urgeo hoc loco omnem rerum cognitionem a sensibus proficisci, id dico, sensu seu sentiendi facultate nos animae nostrae conscios fieri. Sensus ad vitam maximi est momenti, cum omnes qui sentiunt vivant, nec quisquam vivat quin sentiat. Sunt autem sensus non modo animi sed etiam corporis: in horum numero habentur quinque illi sensus, quibus res externas percipimus, aures, oculi, nares, lingua, tactus; animi sensus quid significet, demonstrant versus:

II 887 „tum porro quid id est, animum quod percutit, ipsum
„quod movet et varios sensus[14]) expromere cogit."
II 946 „corporis atque animi pergit confundere sensus"
III 98 „sensum animi certa non esse in parte locatum"
100 „quod faciat nos
„vivere cum sensu, multa cum in parte siet mens"

---

[13]) Munro: „a most awkward construction".

[14]) Polleus: De artis vocabulis quibusdam Lucretianis. Dresden 1866 pg. 16 „idem est ac sententia, opinio".

104 „sic animi sensum non certa parte reponunt"
578 „dissolui sensus animi fateare necessest
„atque animam"
IV 731 „corporis haec quoniam penetrant per rara cientque
„tenuem animi naturam intus sensumque lacessunt."
I 460 „tempus item per se non est, sed rebus ab ipsis
„consequitur sensus[15]) transactum quid sit in aevo."

His praemissis ad singula transeamus. Cum apud Plutarchum legamus (Pl. phil. IV 23. 2 καὶ τὰ πάθη καὶ τὰς αἰσθήσεις ἐν τοῖς πεπονθόσι τόποις) docuisse Epicurum nos in affectis corporis partibus sentire, putamus animam, quae per totum corpus dissita est, corporis plagas sentire. Placuit autem viris doctis Reisackerum secutis, quartam substantiam ad sensum creandum aptam (τὸ αἰσθητικόν) animum efficere eumque solum sentire, animam sensus expertem esse. At animus medio in pectore positus laetari potest, dum aliae corporis partes doleant; III 105 sqq.

„saepe itaque in promptu corpus quod cernitur aegret,
„cum tamen ex alia laetamur parte latenti."

Quodsi non anima, sed animo sentimus et anima nihil aliud est nisi instrumentum, quo motus ad animum deferatur, is semper moveatur necesse est, si corporis partes doleant aut aegrotent, cum sensus nihil aliud sit ac motus. Quomodo autem eodem tempore animus, cum corporis doloribus affectus moveatur, laetari possit, non elucet. Ergo manifestum est, quoniam urget poeta, animum laetari, cum corpus doleat, nos non modo animo, sed etiam anima sentire.

[15]) Hoc loco si quis corporis sensus (cf. IV 763) intellegendos esse putabit, nihil habebo quod ei repugnare dicam. Egregie erravit Woltjer (l. l. pg. 95) ad IV 763:

„hoc ideo fieri cogit natura, quod omnes
„corporis offecti sensus per membra quiescunt
„nec possunt falsum veris convincere rebus.

„Sensus procul dubio hic significare debet facultatem sentiendi et discernendi, ergo animum sive rationem."

Hic refellendus est Tohteus (l.l. pg. 6), qui Plutarchi illud genuinam philosophi sententiam praebere negat. Docentem enim Epicurum simulat, affectus in principali animi parte sedem habere: „übrigens haben auch die πάϑη nach Epikurs Meinung ihren Sitz im ἡγεμονικόν. Er selbst wie Lucrez nehmen das geradezu als selbstverständlich an und sagen, weil Freude und Schmerz in der Brust ihren Wohnsitz haben, sei dort der animus." Nam quae de temperamentis, de ira aliisque perturbationibus poeta disserit, dilucide docent hos affectus trium partium aurae caloris aeris proprios esse, e quibus animam constare volunt. Vix est quod moneam ex versibus III 145. 146:

„idque sibi solum per se sapit, id sibi gaudet,
„cum neque res animam neque corpus commovet una."

minime apparere voluisse Lucretium non esse affectus nisi animi. De hac re exstat egregium Petri Gassendi iudicium, quod hoc loco afferre liceat. Is postquam apud Lucretium animum et animam ita cohaerere explicuit, ut unam naturam ex se conficerent, „verum, inquit, suam semper naturam ita tuetur ac retinet (sc. animus), ut eius proprium sit cogitare, animae vero affectus subire; utcumque propter cohaesionem et cogitare anima[16]) et affici animus censeatur." (Philosophiae Epicuri syntagma. pg. 371) Conferas etiam velim, quae Susemihlius in Philologi volumine XXVII pg. 33 sq. exposuit. Τὰς αἰσϑήσεις ἐν τοῖς πεπονϑόσιν τόποις esse nemo negat, qui diligenter vv 350 — 358 perlegit.

Iam videamus de somno. In somno enim corpus sine sensu iacere sensusque corporis offectos esse Lucretius docet (IV 763). Cum eo efficiatur somnus, quod vis animae per artus distrahatur partimque foras eiecta recesserit (IV 916 sq. 929 sq.) sequitur, ut anima causa sit corporis sensus. Quod quidem ipse poeta declarat his versibus:

„nam dubium non est, animai quin opera sit
„sensus hic in nobis, quem cum sopor impedit esse,

---

[16]) **De animae cogitationibus ambigo.**

„tum nobis animam perturbatam esse putandumst
„eiectamque foras, non omnem: e. q. s.

Longum est hoc quoque loco disputare de versibus 350 — 358, quibus corpori sensus impertitur.

Nunc quoniam demonstrasse mihi videor, non modo animum, sed etiam animam sentire, quaerendum est, anima quartae illius partis, quam solam sentire dicunt, particeps sit necne. Ac primum tenendum est, animam in toto corpore dissipatam esse, quartam autem partem cum tribus aliis ita coniunctam, ut ψυχὴ cum corpore: III 276

„quod genus in nostris membris et corpore toto
„mixta latens animi vis est animaeque potestas,
„corporibus quia de parvis paucisque creatast,
„sic tibi nominis haec expers vis facta minutis
„corporibus latet atque animae quasi totius ipsa
„proporrost anima et dominatur corpore toto."

Hic locus non impedit, quominus quartam in anima esse censeamus. In libro secundo autem Lucretius docet „initum motus" seu dicere mavis voluntatem a corde creari

„ut videas initum motus a corde creari
„ex animique voluntate id procedere primum,
„inde dari porro per totum corpus et artus." 269 sqq.

Eadem vis in libro tertio a poeta quartae parti tribuitur, quo fit, ut quartam „media regione in pectoris" haerere arbitremur.

„sensiferos motus quae didit prima per artus,
„prima cietur enim parvis perfecta figuris" 245 sq.
„mobilis illa
„vis initum motus ab se quae dividit ollis,
„sensifer unde oritur primum per viscera motus."

Adde quod III 402 poeta philosophans corporis partes cumque his animae partes avelli posse docet sine ullo detrimento τῆς ψυχῆς, cum nihilominus homo in vita remaneat. Quarta autem tanti momenti est ad vitam, ut vehementer moveri non possit, nedum partes ab ea abstrahi possint, quin mors sequatur: III 254. 55

„ut vitae desit locus atque animai
„diffugiant partes per caulas corporis omnes".

Ergo quarta pars haud nuncupata in anima esse nequit. Iam cum viderimus, animam sentire eamque expertem esse quartae partis, non modo hanc, sed etiam atomos aeris, caloris, aurae ita moveri posse conicimus, ut sentiant. Mirum quantum meam sententiam Woltjer mihi videtur confirmare. Si enim quarta substantia intimam partem animi efficeret eaque sola sensus particeps esset, alteram animi partem sensu vacare statuendum esset. Nusquam autem Lucretius modo partem animi sentire docet.

Ad eandem sententiam alia ratiocinatione adducimur. Demonstraturus enim Lucretius hominum animas mortales esse neque integras in alia corpora post mortem sese insinuare posse, dicit, si hoc possent facile factum iri, ut hominum animae in bestias, bestiarum in homines irreperent itaque „desiperent homines saperent fera saecla ferarum.“ III 753. Sequitur, ut poeta discrimen interesse voluerit inter hominum bestiarumque animas. Quaerendum igitur est, quid sit illud, quod hominum animae habeant, quo careant bestiae. Tres primas partes non minus animalium quam hominum animis proprias esse, luculenter declarant libri III 269 sqq. Nec quisquam negabit, nomine vacantem illam partem, siquidem Plutarchus et Stobaeus locis laudatis recte referunt, hanc esse τὸ αἰσθητικόν Lucretianique codices genuinam scripturam exhibent III 238, bestiis tribuendam esse, nisi qui bestias sensu carere putaverit. Nulla igitur re discernuntur hominum animae ab animis bestiarum. At Lucretius dicit: „desiperent homines, saperent fera saecla ferarum“, et discrimen statuisse Epicureos inter hominum bestiarumque animas Ciceronis dictum comprobat, rationem hominum propriam esse. De nat. deor. I 87 „animam rationis consiliique participem in ulla alia, nisi humana figura.“ I 89 „nec rationem esse nisi in hominis figura.“ I 98 „Tu enim sumebas, nisi in hominis figura, rationem inesse non posse.“

Atque etiam si ex silentio concludere liceat, ex Stobaei verbis I 790: Παρμενίδης καὶ Ἐμπεδοκλῆς καὶ

Δημόκριτος ταὐτὸν νοῦν καὶ ψυχὴν[17]), καθ' οὓς οὐδὲν ἂν εἴη ζῷον ἄλογον κυρίως, cum Epicuri mentio non fiat, haud scio an possit colligi, Epicurum animalia rationis expertia esse docuisse. Mire haec cum discrepent, nec quidquam viri docti ad quaestionem explanandam attulerint — Woltjer eam vix solvi posse profitetur (l. l. pg. 70) — ponendum est, aut philosophiam Epicuri hoc loco vehementer claudicare, quod mihi persuadere non possum, aut locum quendam exstare, qui iniquitate temporis corruptus non satis adhuc sit explicatus.

Accedit quod Plutarchus l. l. Epicuro τὸ ἡγεμονικὸν ἀπαθές esse refert. Dubitari non potest, quin τὸ ἡγεμονικόν sit quarta pars; haec si sola sentit, semper movetur neque ἀπαθής esse potest. Offendit hic locus Zellerum, virum clarissimum, (III[1] pg. 419 Anm. 2). Parum enim intellixisse putat epitomatorem Epicuri verba aut parum recte reddidisse (cf. III 252). Equidem hanc sententiam ab Epicuro abhorrere non putarim. Quomodo autem locum intellegendum atque explicandum esse censeam, infra apparebit.

Omnes hae difficultates, quas adhuc in doctrina de animarum natura observavimus, parvola litterarum mutatione possunt sublevari. Ne sim longus, de vitiis suspectus est versus 238

„nec tamen haec sat sunt ad sensum cuncta creandum“,

quo Lucretius docere videtur, quartam solam posse sentire. Cum nemo in eo offenderit, mirum non est, quod viri docti, quotquot de Lucretii doctrina scripserunt, quartam efficere animum eumque solum sensus participem esse putarunt. Liceat hoc loco eorum sententias componere,

Ritter[18]): „Wer kann wohl zweifeln, wenn er die Natur der

---

17) Ita correxit Hermanus Dielesius in Doxographis Graecis pg. 392 pro „νοῦς καὶ ψυχή“. Hanc emendationem iam antea profectam esse a Wakefieldo ad libri tertii versum 425 neminem non fugit.

18) Geschichte der Philosophie alter Zeit. Hamburg IV. 1839.

Seele erkannt hat, wie sie aus Wärme, Luft, Hauch und einer vierten Natur, den feinsten Körpern, welchen Empfindung als eigenthümliche Beschaffenheit beiwohnt, zusammengesetzt ist, daß dieses schwache Wesen x." pg. 93. „Er beschreibt weitläufig die vierte unbenannte Natur, von welcher in der Seele die Empfindung stamme." pg. 96.

Steinhartius: „im ganzen unterschied er in der Seele ein vierfaches Element, zuerst einen dunstartigen, dünnen Hauch oder warme Luft, dann kühle Luft, ferner ein feuriges Warmes, endlich ein noch höheres und reineres Element, das er nicht benannte, vermittelst dessen die Wahrnehmung geschieht; das war eben wieder das Geistige, Aetherische" l. l. pg. 475.

Zeller: „Epikur beschrieb die Seele als einen feuer- und luftartigen Stoff, oder genauer als zusammengesetzt aus einem feurigen, einem luftigen, einem pneumatischen und einem vierten namenlosen Stoffe, welcher aus den allerfeinsten und beweglichsten Atomen bestehen und die Ursache der Empfindung sein sollte" (III[1] pg. 418). Atque idem vir clarissimus etiam haec dicit: „der vernunftlose Theil der Seele soll den ganzen Körper als sein Lebensprinzip durchdringen, der vernünftige dagegen in der Brust seinen Sitz haben. Diesem allein gehört die geistige Thätigkeit, die Wahrnehmung und die Vorstellung, die Bewegung des Willens und des Gemüths an, von ihm hängt in letzter Beziehung auch das menschliche Leben selbst ab." (l. l. pg. 419) Unde apparet eum quartae parti paulo maiorem vim tribuendam esse arbitrari.

Langeus: „Die Wärme und Lebensluft, welche im Tode den Körper verläßt, bildet die Seele und der feinste und innerste Bestandtheil derselben, der in der Brust seinen Sitz hat und allein empfindet, ist der Geist." (l. l. pg. 49)

Comparatis hominum bestiarumque animis Woltjer eo redactus est, ut diceret „aut τὸ λογικόν non constat ex quarta illa parte aut haec pars plus efficit quam τὴν αἴσθησιν, quod fortasse Epicurei censent." (l. l. pg. 70). Convenit cum hac sententia Brandisius[19]), qui quartae partis

[19]) Handbuch der Geschichte der Griech.-Röm. Philosophie III[2]. 1866.

vim latius vult patere: „ihr kommt als Princip des Vorstellens und Wollens, der Lust und Unlust, ja des (menschlichen) Lebens, ein aus den allerfeinsten Atomen bestehendes, nur durch Vergleichung zu bezeichnendes Gefüge hinzu." pg. 30. „Doch soll das Seelenwesen nicht einfacher Natur sein, das den Sterbenden verlassende vielmehr ein Gemisch von Hauch (aura), Wärme, und Luft, der steten Begleiterin der Wärme, und ihnen als Grund der Sinnenbewegungen und des Denkens ein noch Feineres, Leichteres und Beweglicheres hinzukommen, von welchem die Bewegung der übrigen Bestandtheile der Seele und damit des Blutes, der Glieder und der Luft und Empfindungen ausgehen, so daß mit der Stockung dieses Seelentheils der Tod eintrete." (l, l. pg. 460) Inde elucet magnam inter viros doctos esse dissensionem, quae vis quartae parti sit donanda. Si recte supra disputavimus, fieri non potest, ut haec pars sola sensus sit particeps eademque sola cogitet atque intelligat, sapiat ac gaudeat. Ad vulgarem enim sensum efficiendum sat sunt tres partes, aura, vapor, calor, neque vero ad omnes sensus: ad animi sensus creandos necessaria est quarta pars, cui nomen non est. Atque huius coniecturae nobis exstat testis Plutarchus: „τὸ γὰρ ᾧ κρίνει καὶ φιλεῖ καὶ μισεῖ καὶ ὅλως τὸ φρόνιμον καὶ λογιστικὸν ἔκ τινός φησιν ἀκατονομάστου ἐπιγίγνεσθαι." (adversus Colotem c. 20)

Proximum est, ut experiamur, quomodo haec sententia Lucretii versibus possit reddi. Intellectu difficile non est, ubi lateat vitium. Supervacaneum est enim, si quid video, in versu 238 vocabulum „cuncta". Nemo non videt, plane idem esse „nec tamen haec cuncta sat sunt" et „nec tamen haec sat sunt"; optime vocula illa omissa oratio decurrit. Itaque non putarim, Lucretium scripsisse:

„nec tamen haec sat sunt ad sensum c u n c t a creandum", legendum est

„nec tamen haec sat sunt ad sensum **quemque** creandum", ita ut sensus non quartae soli impertiatur, sed aliis quoque animae partibus, quartae autem gravior altiorque sensus cogitandi atque intellegendi. Haesit etiam Bockemueller

in vocabulo, quod est „cuncta“ et in editione Lucretii carminis locum dedit coniecturae „iuncta“. Causae autem quas affert leviores sunt et falsae. Sit satis ad eum refellendum revocare ad versum 268. Illum pronominis „quisque“ usum ne quis a Lucretio alienum esse putaret ideoque coniecturam meam reiceret, in usum pronominis „quisque“ apud Lucretium inquirere instituimus. Tot autem occurerunt loci qui eum confimare videantur, ut eos omnes afferre supersedeamus. Satis sunto exempla haec:

I 218 „nam si quid mortale e cunctis partibus esset
„ex oculis res quaeque repente erepta periret.“
I 541 „ante hac ad nilum penitus res quaeque redissent.“
I 562 „quoniam refici rem quamque[20]) videmus“
I 995 „semper in adsiduo motu res quaeque geruntur“
II 68 „quoniam minui rem quamque videmus.“
II 233 „propterea quia corpus aquae naturaque tenuis
„aeris haud possunt aeque rem quamque morari.“

Taedet etiam multis exemplis ex litterarum apicibus repetitis comprobare, eiusmodi menda („cuncta“ pro „quemque“) in libris scriptis inveniri, quamquam non desunt nostris quidem temporibus philologi, qui nullam admittant coniecturam, nisi antea eam satis multis exemplis confirmaveris. Quibus satis fiat additis locis II 721

„cumque“ pro „quamque“
II 905 „cumque“ pro „cuncta“
II 943 „quamque tuentur“ pro „concuterentur“.

Postquam hoc vitium in versu 238 deteximus sinceramque scripturam restituimus, ad versus sequentes transeamus

„nil horum quoniam recipit mens posse creare
„sensiferos motus quaedamque mente volutat.“

Hos versus Lachmannus ita restituere conatus est:

„nil horum quoniam recipit quem posse creare,
„sensiferos motus quaedam vis menti' volutat.“

Praeterquam autem quod haec pronominis relativi positio

[20]) Confer thesaurum Forcellini: „Adhibetur etiam eodem sensu adiectivorum more“. (Lucr. I 562.)

vix ferri potest,[21]) recte Purmannus[22]) in eo se offendere monuit, quod quarta pars hoc loco tribus aliis opponeretur, atque „quaedam vis mentis“ nominaretur, praesertim cum versu 241 sq. accuratius de ea exponeretur. Id agentes ut cogitationum atque voluntatis in hunc versum mentionem inferrent, varie viri docti eum tentarunt. Non inutile videtur, quae post Lachmanni editionem propositae sunt coniecturas in unum conspectum redigere, quo melius appareat, quantopere viri docti de quartae partis facultate dissenserint. Iuvat etiam veterum „vanissima commenta“ adnectere, quippe quae a vero non longe mihi videantur aberrasse. Parum profecisse putatur Bernaysius, qui scripsit „quidam quod manticulantur“.[23]) Vide, quae contra hanc coniecturam dixerint Purmannus (Neue Jahrbb. LXVII pg. 674) et Lotzeus (Phil. VII pg. 721). Purmannus quamquam de huius versus emendatione desperandum esse dixit, eum tentare non destitit et tres coniecturas publici iuris fecit. Quarum primam, quae ad voluntatem solam respicit „quibu' constet cumque voluntas“ (l. l. pg. 674) duabus aliis summovit, quae cogitationes commemorant: „Es sind die Gedanken, welche der Dichter verstanden wissen will, und die er von den Trägern und Erregern der Empfindung unterscheidet.“ Scripsit igitur

„nil horum quoniam recipit res posse creare
„Sensiferos motus aut quae quis mente volutat.“

et „nil horum quoniam manifestumst posse creare“ e. q. s. (Neue Jahrbb. CXV pg. 277.) Lotzeus legere mavult „quidum quae mente volutas“ (Phil. VII pg. 721), eumque secutus Polleus coniecit „nedum quae mente volutas“ (Ph. XXV). Winckelmannus scripsit „recipit mens posse creare Sensiferos motus, quaecumque elementa volutat“: „Da von keinem von diesen denkbar ist, daß es durch die Urkörper, die seine bewegte Masse bilden mögen, Empfindung her-

---

[21]) Goebelius: Quaestiones Lucretianae criticae. pg. 24. Salzburg 1857.

[22]) Neue Jahrb. LXVII pg. 674. ibid. CXV pg. 277.

[23]) Cf. Phil. XXV pg. 274.

vorbringen könne". [24]) Grasbergerum coniecisse „reperimus posse creare Sensiferos motus qui tamquam mente volutant" Polleus testis est. Goebelius in prioribus quaestionibus Lucretianis hanc coniecturam proposuit:

„nil horum quoniam recepit, se posse creare
„sensiferos motus et quae mens cumque volutat."

A Munrone profecta est emendatio: „recepit res posse creare Sensiferos motus et homo quae mente volutat". Restat Bockmuelleri coniectura: „nil horum quoniam re cepit posse creare Sensiferos motus quaerendaque mente volutat" quam ipse ita explicat: „weil keins der drei Gebilde in Wirklichkeit je die Aufgabe über sich genommen hat, die Bewegungen des Geistes zu wecken, welche die Sinnesthätigkeit hervorrufen."

Minime arridet Winckelmanni propositum, quod omnino neglegit cogitationes, quarum mentionem in hoc versu poetam fecisse versus insequentes luculenter demonstrant. Aliorum coniecturae eo omnes laborant vitio, quod quartae parti paulo maiorem vim tribuerunt atque hanc ob causam eis difficultatibus implicatae sunt, quas supra ostendimus.

Iam cum recentiorum interpretum nemo probandam coniecturam proposuerit, ad „scriptorum saecla priora" revertamur. Ac primum Dionysius Lambinus [25]) paucis mutatis litteris scripsit „quaedam qui mente volutent", neque vero, quamquam recte perspexit quartam partem animo cogitandi facultatem reddere, quae ex hac re necessario efficiuntur, conclusit, tres alias partes sensus esse participes. Ita autem illos versus interpretatur: „quoniam mens seu ratio animi non recipit seu non approbat, quicquam horum trium posse sensiferos motus creare, qui motus res aliquas cogitare et volutare queant." — „quoniam tria illa superiora sensiferos motus creare non possunt, qui quaedam cogitent, quarta eis quaedam natura addatur necesse est: qua addita iam sit omnibus partibus animi natura absoluta atque perfecta." Tum Wakefieldus „ex ingenio" dedit „ut quam minima

[24]) Beiträge zur Kritik des Lucrez. Salzwedel 1857.
[25]) Frankofurti 1583. pg. 315.

mutatio in versu non nihil castigationis deposcente fieret": quaedam quei mente volutant. Locum „non valde perspicuum" explicat: „sed admitti nequit haec tria posse gignere motus sensiferos, qui consistunt in quibusdam volutandis per mentem".

Nec Eichstadius nec Forbiger novi quidquam protulerunt.

In utraque coniectura displicet illud „quaedam" (cf. Lachmanni commentarium pg. 153), quod si quis cum Munrone ex versu 241 in hunc versum irrepsisse putabit, facile locum ita mutabit ut scribat „qui mentem cumque volutant". Ex hac corruptela cognoscere licet industriam curiosi librarii, cuius in versibus refingendis operam, ut alios omittam, Brieger in Philologo XXV pg. 75 cognovit. Cum enim errore quodam vocabulum „mentem" positum esset post „cumque", librarius, ut sincerum versum redderet, pro „mentem" scripsit „mente". Praesto sunt argumenta, quibus hanc lectionem possimus defendere, quamquam non desunt viri docti, qui negent, recte poetam potuisse dicere „mens recipit", scripsisse eum „res recipit" (ἐνδέχεται). Nec tamen in codicum consensu, cum erroris nulla causa appareat, de scriptura videtur dubitandum. Atque a Lucretio hoc dicendi genus minime alienum esse putarim: „mens non recipit seu non comprehendit, harum trium partium ullam eos motus gignere posse, qui ipsam, dum de hac re cogitat, incitant atque movent." Paulo ante eodem modo Lucretius dixit: „ut cognoscas qualis sit animus, animum adverte" III 177 sq. Neque vero ulla res meam sententiam magis tueri videtur, quam versus 245 sq. 270 sq. quibus quartae vis accuratius describitur. Hanc substantiam sensiferos motus Lucretius per artus didere docet:

„prima cietur enim parvis perfecta figuris:
„inde calor motus et venti caeca potestas
„accipit, inde aer: inde omnia mobilitantur".

Itaque dubitari nequit, quin hoc loco Lucretius in animo habuerit sensum animi seu cogitationem, cuius originem in libro quarto fusius explicat. Neque est quod miremur, hic

poetam hanc rem non accuratius tractasse. Is enim Lucretii mos est, ut, cum suum quisque liber argumentum habeat, quae posteriore libro dicturus est, aut non tangat aut quam potest brevissime. Satis igitur ut alias saepe habuit addidisse „prima cietur enim parvis perfecta figuris" et „mobilis illa vis initum motus ab se quas dividit ollis" 271. Si enim vulgarem sensum intellegi voluisset, dicere non potuisset, eam primam cieri, sed tum demum cieri, si ceterae corporis et animae partes antea essent motae. Per se enim patet, penitus latentem quartam partem non posse extrinsecus corporis plagis primam cieri. Noli tamen arbitrari, Lucretium sibi non constare, cum hanc penitus latentem vim primam extrinsecus doceat percelli. Simulacra enim — „multo magis haec sunt tenuia textu Quam quae percipiunt oculos visumque lacessunt" — per rara corporis penetrant „cientque tenuem animi naturam intus sensumque lacessunt." Horum simulacrorum atomi minores sunt atque leviores, quam quae maiores animae atomos possint impellere atque pulsu sensum efficere. Recte igitur dicere potuit poeta, quartam partem primam cieri, simulacris quidem, quorum incursione cogitationes oriri libro quarto docetur. Hic locus est, ubi errorem Tohtei castigemus, ex quo apparet etiam, quantopere torserit vir doctus, ut comprobaret, animum solum sensus participem esse et corpus in affectis locis sentire. Ita enim fingit in nostro corpore sensum gigni: corporis superficies extrinsecus pulsa animae atomos percellit, quae motum ad animum transferunt, ut ibi sensus efficiatur. Hinc rursus animae et corporis atomi impelluntur, ut hae quoque sensus fiant participes. Quibus hanc explicationem confirmaret, attulit exempla haec: III 159. 245. 270 „Die von den Organen nach innen gehende Bewegung ist noch keine bewußte αἴσθησις und ist an und für sich für unser geistiges Leben werthlos; erst im ἡγεμονικόν wird sie eigentlich αἴσθησις und indem der animus nun zurückwirkt auf anima und Körper, werden auch diese in Mitleidenschaft gezogen und erhalten Theil an der Empfindung. Eine solche Rückwirkung des animus auf anima und Körper scheint Lucrez in den oben angeführten Stellen zu meinen."

(l. l. pg. 6.) Mihi non idem videtur. Quantopere erraverit vir doctus manifestum est. Namque ut corpus in affectis locis sentire animumque solum sentiendi facultatem habere comprobaret, ad locos allatos confugit nec vidit, in illis rem multo aliam explicari. De duabus autem motus viis ac rationibus vide Woltjerum (pg. 68).

His expositis persuasum mihi est, Lucretium v. 240 docuisse, tres animae partes non sufficere ad cogitationes creandas, hanc vim quartae parti esse tribuendam. Restat, ut ad eam quaestionem redeamus, unde tota haec disputatio orta est, quae de distributione partium illarum quattuor est inter animum et animam. Supra ostendimus Reisackerum errasse neque Woltjeri explanationem plane esse probandam. A vero igitur non aberrabimus, si Lucretium de hac distributione ne cogitasse quidem putabimus. Satis enim poeta habuit dixisse, animum et animam coniuncta esse eodemque modo quattuor partes ex se unum corpus facere. Neque est quod miremur Lucretium initium motus, quod in libro tertio a quarta parte ceteris dividi dixerit, in secundo et quarto in animo oriri docuisse. Cum enim nisi libri tertii in hac parte de substantia haud nominata non dissereret eamque ne commemoraret quidem, vulgarem usum secutum poetam putamus discrevisse inter se non quattuor animae partes, sed animum et animam.

Non inutile videtur addere, mea versuum 238—240 interpretatione probata, Plutarchi illud „τὸ γὰρ ἡγεμονικὸν ἀπαθές" iam nullam offensionem praebere. Quod si secus videatur viris vel doctissimis, a quibus dissentire difficillimum est, licet tamen meam sententiam tueri atque explicare. Neque cum Reisackero (Epicuri cett. pg. 23) huius loci explicatio a philosophi doctrina ethica repetenda est. Propterea enim is Epicurum arbitratur principalem animi partem motibus vacare docuisse, quod summam voluptatem in animi indolentia atque tranquillitate positam esse iudicavisset. Recte autem Tohteus (l. l. pg. 6 Anm.) hanc causam et ab Epicuro fuisse alienissimam nec Plutarchi loco laudato indicari monuit. Etenim nihil aliud ex eo posse

erui, quam philosophum statuisse, quartam partem animae vulgaribus corporis sensibus, qui essent ἐν τοῖς πεπονϑόσι τόποις non moveri. Neque vero idem homo doctus, cum Reisackeri interpretationem non probandam esse perspiceret, mihi potuit persuadere locum ipsum esse subditicium. Ad illos enim corporis sensus procreandos eae animae substantiae sat sunt praeparatae, quae in affectis partibus insunt. Quod cum ita sit, in verbis τὸ γὰρ ἡγεμονικὸν ἀπαϑές nulla offensio! Omnino autem summa quiete frui quarta pars non dicitur, quippe quae percellatur tenuissimis simulacris, quae per rara corporis penetrant „intus sensumque lacessunt". De his autem animi sensibus Plutarchus seu alius quis, qui florilegii auctor est non disseruit.

Parvola litterarum mutatione Lucretii de quartae partis animae natura doctrinam ita restituimus, ut quae antea permultis laborabat difficultatibus descriptio optime decurreret neque quidquam praeberet, in quo quis posset haesitare. Quae hucusque attulimus, si recte a nobis sunt disputata, congruant cum eis necesse est quae de Epicuri ipsius doctrina tradita sunt, cum Lucretius fidelissimus magistri interpres exstiterit. Videamus igitur, num quid occurrat, quod nostram explicationem refutet. Ac primum quidem magno opere dolendum est, quod sexcentorum scriptorum Epicuri paucae reliquiae[26]) quae aetatem tulerunt nihil de hac doctrinae parte exhibeant quaerentesque nos omnino destituant. Prae ceteris auctoribus, qui de eius philosophia scripserunt, Diogeni Laertio fides habenda est, qui plerumque genuina philosophi verba memoriae tradidit. Itaque haud facile quidquam apud eum inveneris, quo deformata sit Epicuri doctrina. Immo summa cum diligentia ac fide sincera magistri placita ab asseclarum additamentis distinxit. Ea autem quae apud Diogenem ad hanc quaestionem referri possunt

---

[26]) Epicuri fragmenta librorum II et XI de natura in voluminibus papyraceis ex Herculano erutis reperta. Orellius. Lipsiae 1818.
Neue Bruchstücke Epikurs. Th. Gomperz. Wien 1876.

indicia omnia ita sunt comparata, ut nostram sententiam videantur confirmare. Postquam enim Epicurus in epistola ad Herodotum scripta *τὴν ψυχήν* e tribus partibus constare docuit, quartam necessariam esse ostendit e minimis mobilissimisque corpusculis compositam. Sequuntur verba „*τοῦτο δὲ πᾶν αἱ δυνάμεις τῆς ψυχῆς δηλοῦσι καὶ τὰ πάθη*[27]) *καὶ αἱ εὐκινησίαι καὶ αἱ διανοήσεις καὶ ὧν στερούμενοι θνήσκομεν.*" D. L. X. 63. Verba *καὶ ὧν* quid sibi velint per se non patet. Neque salutare auxilium affert coniectura Gassendi: *καὶ ὧν λοιπῶν.* Cave enim arbitreris, haec respicere ad „*αἰσθήσεις*" sequentis enuntiati: „*καὶ μὴν καὶ ὅτι ἔχει ἡ ψυχὴ τῆς αἰσθήσεως τὴν πλείστην αἰτίαν δεῖ κατέχειν*", quae quidem verba Ambrosius ita vertit: „Enimvero et id oportet tenere, quod habeat anima sensus plurimam causam." Particulas autem, quae sunt *καὶ μὴν καί*, aptius vellem reddidisset latinis „quin etiam, praeterea", cum eis oratio ad novam rem procedat. Mihi illud *καὶ* ante *ὧν* errore videtur additum, itaque legere maluerim „*καὶ αἱ διανοήσεις ὧν στερούμενοι θνήσκομεν.*[28]) Quarta haec pars infra nominatur *τὸ ὀξὺ κατὰ τὴν αἴσθησιν* — nam *διανοήσεις* quoque *αἰσθήσεις* sunt — qua parte soluta mors sequitur. D. L. X. 65. Cum his verbis bene congruunt, quae Lucretius explicat III 395 sq. Quartam esse „*τὸ αἰσθητικόν*" nusquam apud Diogenem legimus. Porro in additamento, quod is Epicuri epistolae inseruit (X. 66), invenimus *τὸ λογικὸν* haerere in pectore, *τὸ ἄλογον* per totum corpus dissipatum esse. Quarta igitur efficit *τὸ λογικόν*, quippe quae tenuissimis rerum simulacris moveatur hisque motibus cogitationes possit procreare, tres autem aliae partes sunt *τὸ ἄλογον* et putantur cau-

---

[27]) Cum hoc loco conferatur Lucr. III 145. (pg. 7.)

[28]) „oratio plerumque lacera est et disiecta innumerisque vitiis, quorum etiam nunc multa tollenda restant, inquinata". Historia philosophiae Graeco-Romanae ex fontium locis contexta. Ritter et Preller. pg. 333.

sae diversorum hominum indolum et morum neque extrinsecus impulsae sensu vacant.

Atque etiam omnino credi vix potest, ita sibi adversatum esse philosophum, ut cum fortuito atomorum concursu omnia fieri vellet, aliud afferret, quod esset αἰσθητικόν. Procul enim dubio αἰσθητικόν id significat, quod sentiendi vim habet innatam atque inditam. (Cf. Ritter l. l. „welchen Empfindung als eigenthümliche Beschaffenheit beiwohnt"). Quodsi quarta pars esset „τὸ αἰσθητικόν", constare non posset ex atomis, quas nisi quantitate ex Epicuri sententia inter se non differre constat[29]), easque sensu non esse praeditas ut comprobaret Lucretius summa opera in fine libri secundi inde a versu 865 enisus est: omnia quae sentire videmus constant ex atomis quae non sentiant. Neque vero Epicurus τὴν ψυχήν seu partem aliquam incorpoream esse vult: ὥσθ' οἱ λέγοντες ἀσώματον εἶναι τὴν ψυχὴν ματαιάζουσιν. Accedit, quod adversarii Epicuri philosophiae, quorum minime fuit Epicuro parcere, de hac re tacent. Causam equidem non video, cur illi gravissimum doctrinae vitium non castigassent, si ita philosophia ab Epicuro profecta esset.

Quodsi philosophum bene sibi constitisse credere malumus, facere non possumus, quin nihil fuisse affirmemus in Epicuri physicis, quod recte dici posset αἰσθητικόν. Quomodo autem rebus quae per se sentire non possunt, sensus gigni possit, quaerere nostrum non est: illi videant, qui Epicuri nugas aliquid esse existiment![30])

Iam reliquum est, ut ad Plutarchi Stobaeique locos memorabiles accedamus. De his expositaris paulo altius nobis repetendum esse videtur. Florilegium illud, quod Plutarchi nomine fraudulenter ornatum est, Stobaeique eclogas fere ubique ad verbum consentire, inter omnes constitit, unde autem hausissent epitomatores et quae ratio inter ex-

---

29) Diog. Laert. X 44. 54.
30) Lange. l. l. pg. 50.

cerpta intercederet, de eo disputatum est[31]). Diu desideratam lucem doxographis attulit Hermanni Dielesii v. ill. opus[32]), ante hos quattuor annos publici iuris factum, quod securi sequi possumus. Hoc libro dilucide explicavit vir clarissimus, ex Aetii opere („non ante Augustum, idemque non post Antoninos" l. l. pg. 100) quae de Epicuri physicis[33]) proferunt Plutarchus et Stobaeus esse descripta. Neque alio fonte usus est Theodoretus. Quod cuique memoria dignissimum visum est, tres illi epitomatores excerpserunt, ita tamen ut nec Plutarchus (pg. 61) nec Stobaeus (pg. 68) interpolationes reformidaret. Theodoretus autem de industria, si philosophorum patrias et magistros excipias (pg. 45), quae eum ex memoria addidisse verisimile est, ad Aetii verba nihil adiecit, ut eis quae apud eum legamus summam fidem habere possimus. Neque dubitari potest, quin loci, qui in Plutarchi, Stobaei, Theodoreti florilegiis occurrunt, genuina Aetii verba exhibeant. Aliis lemmatis caute utaris necesse est. Quibus praemissis ad Epicurum redeamus. Eius de animae natura placitum tres epitomatores referunt his verbis:

Pseudo-Plut. Pl. phil. IV 3. 5.

Ἐπίκουρος κρᾶμα ἐκ τεσσάρων, ἐκ ποιοῦ πυρώδους, ἐκ ποιοῦ ἀερώδους, ἐκ ποιοῦ πνευματικοῦ, ἐκ τετάρτου τινὸς ἀκατονομάστου.

Stobaeus: Eclog. I 798.

Ἐπίκουρος κρᾶμα ἐκ τεττάρων, ἐκ ποιοῦ πυρώδους, ἐκ ποιοῦ ἀερώδους, ἐκ ποιοῦ πνευματικοῦ, ἐκ τετάρτου τινὸς ἀκατονομάστου.

---

[31]) Heeren: Commentatio de fontibus Eclogarum. Goettingae 1801. pg. 160 sqq.
Meineke in Adnot. critic. pg. 115.
Volkmann: Leben, Schriften und Philosophie des Plutarch. Berlin 1869. pg. 157 sqq. 163.

[32]) Hermann Diels: Doxographi graeci.

[33]) Aliorum philosophorum placita nihil faciunt ad rem.

Theodoretus[34]) pg. 72. 25.

Ἐπίκουρος δὲ ὁ Νεοκλέους τεττάρων τινῶν ποιοτήτων κρᾶμα, πυρώδους καὶ ἀερώδοὺς καὶ πνευματικοῦ καὶ τετάρτου τινὸς ἀκατωνομάστου· (sic.)

In his offensionis nihil est. Quae sequuntur verba apud Plutarchum — *ὃ ἦν αὐτῷ αἰσθητικόν* — et apud Stobaeum — *τοῦτο δ' ἦν αὐτῷ τὸ αἰσθητικόν* — in Theodoreti epitome frustra ea quaeres. Additicia esse haec lemmata mihi persuasum est: rem dico primus, nihilominus autem satis apertam. Quo clarius haec additamenta cognoscantur, paulisper circumspiciamus interpolationes, quibus Plutarchus Aetii verba adulteraverit[35]). Difficillimum esse diiudicatu profitetur Dielesius, utrum in quo haereas adiectum sit ab epitomatore necne. Caute igitur in hac re versatus est eosque solos locos uncis inclusit, qui manifestissimum interpolationis vestigium prae se ferre ipsi visi sunt. Nec tamen dubium est, quin qui hoc agens florilegia accurate perlustraverit, plura interpolationis iudicia sit inventurus. Notavit autem ille vir doctissimus hos locos: I 3. 1, I 3. 11, I 3. 18, I 11. 3, I 13. 1, (I 17. 4), II 1. 3, II 1. 7, III 17. 6, III 18. 1, quorum duo genera discernere licet: unius additamenta orationis conexui inserta sunt eumque interrumpunt, alterius generis in fine sententiarum explicandi causa posita sunt eaque investigare difficile non est, quippe quae falsam plerumque sententiam contineant. Prioris generis exempla omitto, ea afferam quae extra orationis nexum apposita sunt.

I 3. 11: *ἀρχὴ οὖν τὸ πῦρ ὅτι ἐκ τούτου τὰ πάν-*

---

[34]) Graecorum affectionum curatio (*ἑλληνικῶν παθημάτων θεραπευτική*). Th. Gaisford. Oxon. 1839.

[35]) Volkmann pg. 161 „Wir haben eben nicht das Originalwerk eines Schriftstellers vor uns, sondern willkürlich excerpirte Bruchstücke aus einem solchen, in denen Relationen fremder Ansichten und die Kritik derselben bunt durcheinander laufen.“

τα, τέλος δὲ ὅτι καὶ εἰς τοῦτο ἀναλύεται τὰ πάντα. („ex initio repetitum" pg. 65.)
I 3. 18: ὥστε ἐὰν εἴπῃ ἄτομον ἄθραυστον λέγει καὶ ἀπαθῆ ἀμέτοχον κενοῦ· ὅτι δέ ἐστιν ἄτομος σαφὲς καὶ γάρ ἐστι στοιχεῖα ἀεὶ ὄντα καὶ ζῷα κενὰ καὶ ἡ μονάς. (pg. 61. 65)
I 11. 3: ὥστ' εἶναι τὸν κόσμον σῶμα (pg. 61. 65).
II 1. 7: ὥστε οὐ τὸ αὐτὸ εἶναι τὸ ὅλον καὶ τὸν κόσμον (pg. 65).
I 13. 1: ὅ ἐστι στρογγύλα (pg. 65).
De I 3. 18: εἶναι δὲ αὐτὰ λόγῳ θεωρητά — ἴδια δὲ ἔχειν σχήματα λόγῳ θεωρητά (pg. 285. 286. 65) Dielesius ambigit. Quibuscum si contuleris: I 3. 9 ἃ ἦν λόγῳ θεωρητὰ μόρια· οὐ γὰρ δεῖ πάντα ἐπὶ τὴν αἴσθησιν ἀνάγειν, ὅτι ἄρτος καὶ τὸ ὕδωρ ταῦτα κατασκευάζει, ἀλλ' ἐν τούτοις ἐστὶ λόγῳ θεωρητὰ μόρια (pg. 279), I 11. 2: ὅ ἐστι νοῦς (pg. 309) IV 3 11: ὃ ἦν αὐτῷ αἰσθητικόν, cum alia eiusmodi exempla (ὥστε — ὅ) non adsint, mecum haec verba subditicia esse suspicabere. Attamen apud Stobaeum quoque exstant verba „τοῦτο δ' ἦν αὐτῷ τὸ αἰσθητικόν." Haec ex eodem fonte fluxerunt, quoniam duo idem non potuerunt interpolare. Quae res obiter intuentem facile fellit. Neque vero me de hac re diu cogitantem ansa defecit, qua quaestionem solvi posse videbam. Quaerendum enim mihi esse intellexi, utra sententia pristinam formam servaverit, Plutarchi an Stobaei. In hac quaestione diiudicanda non adeo sumus destituti, ut coniecturam periclitari non liceat. Cum enim Plutarchi locum duobus hiatibus insignem esse viderem[36]) ὃ ἦν αὐτῷ αἰσθητικόν, hanc additamenti formam primariam fuisse conieci. Nullum enim novimus

---

[36]) Benseler: De hiatu in oratoribus atticis et historicis graecis libri duo. Fribergae 1841. pg. 514.

scriptorem, qui adeo adamaverit hiatus, ut de industria eis scripta referciret ac deformaret, quod quidem statuendum esset, si quis Stobaei interpolationem pristinam formam exhibere putaret. Vitandi autem hiatus studio epitomatorem, cuius florilegium Plutarchi nomen prae se fert, ductum non esse, ex Benseleri commentatione satis superque elucet. Atque haec scribendi levitas atque incuria epitomatorem ipsum huius additamenti auctorem prodit. Exaravit ille verba inepta in margine libri Aetii[37]), unde, ut saepe factum est, in continuam orationem irrepserunt. Quo autem consilio iste hoc fecerit, pro certo affirmari nequit, neque operae pretium est quaerere, utrum castigare voluerit Epicurum, quod ad hanc substantiam nominis expertem confugisset, quae quamquam pariter constaret ex atomis, idem valeret atque apud alios philosophos mens illa divina immortalisque, an philosophi verba non recte intellexerit. Pseudo-Plutarchi verba Stobaeus, qui nihil antiquius habuit, quam ut hiatus vitaret, ita mutavit, ut scriberet *τοῦτο δ' ἦν αὐτῷ τὸ αἰσθητικόν*. De particula *δὲ* suppletoria a Stobaeo addita vide Dielesium pg. 68. Aut caute versatus est in Aetii libro describendo Theodoretus aut meliore codice usus est quam Stobaeus, qui bona fide Plutarchi laciniam in textum recepit neque vero in hoc additamento acquievit, sed, ut opus coronaret, de suo explicandi causa haec addidit: *ὧν τὸ μὲν πνεῦμα κίνησιν, τὸν δ' ἀέρα ἠρεμίαν, τὸ δὲ θερμὸν τὴν φαινομένην θερμότητα τοῦ σώματος, τὸ δὲ ἀκατονόμαστον τὴν ἐν ἡμῖν ἐμποιεῖν αἴσθησιν· ἐν οὐδενὶ γὰρ τῶν ὀνομαζομένων στοιχείων εἶναι αἴσθησιν.* Ergo in atomis trium animae partium sensus non est. An in quartae partis atomis? Hanc doctrinam ab Epicuro alienissimam esse satis superque supra ostendimus.

---

[37]) **De inquinato codice, quo usi sint Plutarchus et Stobaeus, disseruit Dielesius pg. 50.**

Caput secundum.

De animantium, quam Epicurus docuerit, libera voluntate.

Epicuri de voluntatis libertate doctrina nostris temporibus in controversiam deducta est, clarissimique viri in certamen descenderunt. Tantum autem abest, ut horum studiis res ad omnium consensum absoluta sit, ut tanta inter viros doctos sententiarum dissensio constet, ut alii docuisse sibi persuaserint Epicurum libertatem voluntatis, alii totam hanc doctrinam ab eo abiudicandam esse existiment. Ante Hirzelium v. ill. neminem reperio, qui eam labefactare et in discrimen vocare conatus sit. Is in disquisitionibus de fontibus Ciceronis mirandum esse dixit, quod haec doctrina ab Epicuro profecta esset[38]), atque eodem fere tempore Gompertius v. ill. nisus fragmentis Herculanensibus evertit quae inter viros doctos constant, liberamque voluntatem Epicurum non docuisse satis confidenter pronuntiavit[39]): „In Epikurs Lehre vom menschlichen Willen erhalten wir zum ersten Male einen Einblick, den wir zwar genauer und deutlicher wünschen möchten, der aber völlig ausreichend ist, um den Wust verjährter Irrthümer und Mißverständnisse, die bislang auf diesem Gebiete die Stelle der Kenntniß vertreten haben, endgiltig über den Haufen zu werfen.“

[38]) l. l. pg. 163.

[39]) Neue Bruchstücke Epikurs, insbesondere über die Willensfrage. Sitzungsberichte der kais. Akademie zu Wien. 1876. 83. pg. 92.

„Aus diesen Bruchstücken ergiebt sich eine Reihe, wie mich dünkt, unabweisbarer Folgerungen: Epikur war nicht, wie man bisher annahm, Indeterminist; er war Gegner des Fatalismus, nicht des Determinismus; er glaubte nicht an die Ursachlosigkeit menschlicher Willensacte &c." (pg. 95). Quamquam autem hanc sententiam rectissime Zeller, vir clarissimus, refutavit, qui plane contrarium sensum ex fragmentis eliciendum esse etsi non multis verbis, dilucide tamen ostendit, (l. l. pg. 424 Anm.) inquirenti mihi in hanc doctrinam tot difficultates occurrerunt, in quibus haerendum esse putavi, ut diligenter hanc Epicuri philosophiae partem denuo retractare constituerem.

Artissime cohaerere doctrinam de libera voluntate cum atomorum declinatione eamque ipsam propterea potissimum Epicurum induxisse arbitrantur quotquot de hac re quaesiverunt, quod nulla alia causa animantium libera voluntas posset defendi. Neque in hac sententia acquiescunt, sed ipsis atomis declinandi voluntatem eum imposuisse pro certo habent. Liceat hoc loco paucis complecti quae de hac re exstant hominum doctorum explicationes:

Ritter: „— der Begriff des inneren Triebes der Atome, welchen schon Epikur hervorgehoben hatte, um daraus ihre Abweichung vom senkrechten Falle, die Zufälligkeit der Naturerscheinungen und die Freiheit des menschlichen Willens abzuleiten, welchen aber Lucrez, trotzdem daß er mit seinen übrigen Vorstellungen in mancher Beziehung in Mißverhältniß sich zeigt, noch mehr begünstigt zu haben scheint." (pg. 95.) „Er spricht nicht selten davon, daß die Atome eine Bewegung haben, welche aus ihnen selbst hervorgehe und schließt hieran besonders die willkürliche Bewegung der lebendigen Wesen an, welche zurückgeführt werden müsse auf die Kraft der Atome, einen Anfang der Bewegung aus sich selbst nach Belieben hervorzubringen." (pg. 96.)

Brandisius: „Die Annahme des Zufalls zur Erklärung der Ablenkung von der senkrechten Linie schien dem Epikur um so gerechtfertigter, da ohne jene Annahme von Freiheit des Willens nicht die Rede sein könne. Lucrez nimmt daher nicht Anstand, auch den Atomen einen entsprechenden (blinden) Trieb beizulegen." (pg. 25.)

Steinhartius: „Epikur hatte aber hierbei noch einen praktischen Zweck: er wollte auch im Reich der Atome ein Element der Freiheit und der Willkür an Stelle des Gesetzes und der Naturnothwendigkeit setzen, die ihm überall ein Gräuel war und zugleich eine freilich sehr rohe, Erklärung der freien Lebensbewegung der lebenden Wesen und zuletzt der Willensfreiheit geben." (pg. 474.)

Ueberwegius: „Er setzt also diejenige Art von Freiheit (oder vielmehr Willkür), die er dem menschlichen Willen zuschreibt, gewissermaßen schon in die Atome hinein." (pg. 208.)

Zeller: „Diese Annahme schien ihm auch deshalb unerläßlich, weil die Freiheit des menschlichen Willens nicht zu retten wäre, wenn alles dem Gesetz der Schwere schlechthin folgte und aus dem gleichen Grunde sollte jene Abweichung selbst von keiner Naturnothwendigkeit, sondern rein von der natürlichen Selbstbestimmung der Atome herrühren." (pg. 408.)

Reisacker: „Voluntarii autem motus causam Epicurus non poterat non in ipsis atomis earumque motibus intellegere. Idque probat Lucretius, qui argumentis ab animantibus petitis atomorum declinationis causam defendit et ita quidem, ut his pondus maximum tribuisse videatur." (Quaest. Lucrett. pg. 28.) „Fieri omnia dixit naturae motibus caecis et quasi voluntariis, quos motus ex animantium praecipue naturae libidine videtur deduxisse." (Epicuri cett. pg. 14.)

Hanc autem doctrinam, ni omnia me fallunt, ab Epicuro non esse profectam, satis probabilibus argumentis me posse ostendere confido. Imprimis enim quaeritur, omnes atomi de via declinaverint, an pars sola aberraverit. Cum de hac re Lucretius curiose non exposuerit, sed summatim de principiorum declinatione disseruerit, e contextu sequi videtur, id quod recte observavit Woltjer (pg. 38), omnes atomos de recta linea aberrasse. At si omnes atomi declinassent, earum concursus minime fuisset necessarius. (Cicero de fin. I 20.) Accedit alia causa qua impedior, quominus omnes atomos aberrasse credam. Etenim si quotquot fuerunt atomi non linea recta, sed obliqua sese movissent, motus qui obliqua linea fit, si recte iudico, naturae legibus conveniens esset neque vero motus qui recta fit linea. Neque hac omnium

atomorum declinatione fati foedera rupta essent, quod quidem ea factum esse Lucretius docet. Quapropter partem atomorum a recta linea Epicurus statuit aberravisse, quod unum concursum efficere potuit. (Woltjer l. l. 38.) Iam ut de declinandi voluntate quaeramus, in omnibus atomis ea fuit an in eis solis quae declinarunt? Omnium haec voluntas propria esse non potuit, nequaquam enim elucet, cur non omnes declinaverint, sed tantummodo pars aberraverit. Apteque Cicero (de fato XX 46) quaerit, num sortitae inter se sint atomi „quae recte quae oblique ferantur.“ Neque mihi persuadere possum ut docuisse credam Epicurum in eis atomis, e quibus saxa constant, voluntatem inesse. Quodsi eorum sententiae adstipulamur, qui volunt declinandi voluntatem nonnullis atomis inditam esse, una difficultate sublata in aliam incidimus. Ut enim argumento utar a Lucretio sumpto, qui atomos voluntate praeditas esse velit, cum voluntas nisi in animantibus non sit, eas animantes, id est anima instructas esse statuere debet. Hac sententia probata, discrimen intercessisse monendum est, inter eas atomos quae de via declinarunt et reliquas omnes, quod aliae essent animatae, aliae animae expertes. Cum vero atomi inter se non differrent nisi magnitudine, forma, gravitate, fieri non potuit, ut Epicurus doceret, aliis voluntatem esse innatam, aliis non item. Firmiter igitur in ea sententia stamus, ut ne eis quidem quae declinarunt atomis voluntatem declinandi inditam fuisse affirmemus. Ut hoc addam, si in ipsis atomis voluntas fuisset, Lucretius dicere non potuisset: „certe neque consilio primordia rerum ordine se suo quaeque sagaci mente locarunt.“ (I 1021.) Iuvat etiam conferre Cic. de fato 20. 47 „neque in ipsa atomo mutationis aliquid factum est, quamobrem naturalem motum sui ponderis non teneret.“

Nunc postquam ostendisse nobis videmur, aut paulum aberrasse a vero eos, qui Epicurum declinandi voluntatem in ipsis atomis posuisse putant, aut parum sibi constitisse philosophum, cum atomis illam vim tribueret, iam quaeramus, num omnia, si ita Epicuri philosophia sese haberet, bene inter se concinerent. Woltjer quidem (pg. 101) difficile

esse intellectu monet, quod vinculum posuerit Epicurus inter primam atomorum declinationem et voluntatem nostram, cum hanc ab exteris atomis liberam esse statuere debuerit. Qua de re quamvis Lucretius non docuerit, tamen facile coniectura possumus assequi, animas ex eis atomis esse compositas, in quibus declinandi voluntas et olim fuit et etiamnunc inest. Est igitur animus res se movens neque solis gravitatis legibus subiecta sed suae ipsius voluntati obtemperans. Qua de causa naturalem vim habet, qua intendit se ad ea, in quibus cogitandis velit versari. Atque omnia cum plena essent simulacrorum, quibus opus est ad cogitationes creandas, hac ratione suo iure Epicurus docere potuit, liberam esse animantibus voluntatem, quod animus se vertere posset ad ea simulacra, quibus incitari vult, ut voluntas corpore animae auxilio efficeretur. Diserte enim explicuit poeta, necesse esse vertere se animum ad simulacra:

„nisi se contendit acute
IV 802 sqq. „cernere non potis est animus: proinde omnia quae sunt
„praeterea pereunt: nisi si quae ad se ipse paravit.
„ipse parat sese porro speratque futurum
„ut videat quod consequitur rem quamque: fit ergo.
IV 814 sq. „cur igitur mirumst, animus si cetera perdit
„praeterquam quibus est in rebus deditus ipse."

Negavit autem ea potissimum simulacra in mentem incurrere, quibus ipsa lacessi vellet, quod si fieret, ponendum esset, simulacra voluntatem nostram tueri: IV 781

„anne voluntatem nostram simulacra tuentur
„et simulac volumus nobis occurrit imago?"

Hoc modo, si quid video, Epicuri de libera voluntate doctrinam decurrere viri docti censent. Praeterquam autem quod ne haec quidem explicatio omnes auferat dubitationes, tota de qua adhuc diximus, doctrina in tam infirmis fundamentis nititur, ut minime nobis possit probari. Nihilominus tamen in ea nobis acquiescendum esset, si non alia exstaret explicandi ratio, qua Epicurum sibi non adversari videbamus. Nova haec, quam ad recte perspiciendam Epicuri doctrinam

de voluntatis libertate ingredimur, via utrum probanda an reicienda sit, ex eis erit diiudicandum, quae infra tota hac quaestione videbimur effecisse. Estque ea cum coniectura probabilis, tum quibusdam etiam vestigiis ex fragmentis Herculanensibus erutis indicatur.

Ac primum quidem ne pluribus ostendam, non potuisse philosophum docere, aliquot atomis declinandi voluntatem fuisse innatam, videamus, qua ratione Epicurus declinationem atomorum defendere studuerit. Democritus[40]), auctor atomorum, duo motus genera esse statuerat: alterum ad universas atomos pertinens, alterum ad singulas spectans. Prioris motus principium fuit necessitas, alterius plaga. Placuit enim philosopho, atomos necessitate motas se posse tangere ideoque vertiginem efficere. Epicurus autem cum intellegeret[41]), in inani spatio eas gravitate cadentes se non posse tangere, sed nulla re resistente aequa celeritate omnes lineis parallelis ferri, tertium motus genus induxit declinationem: Lib: II 216 sqq:

„Illud in his quoque te rebus cognoscere avemus,
„corpora cum deorsum rectum per inane feruntur,
„ponderibus propriis incerto tempore ferme
„incertisque loci spatiis decellere paulum,
„tantum quod momen mutatum dicere possis.
„quod nisi declinare solerent, omnia deorsum,
„imbris uti guttae, caderent per inane profundum,
„nec foret offensus natus nec plaga creata
„principiis: ita nil umquam natura creasset.“

Ad hanc declinationem haud scio an hac ratiocinatione Epicurus ductus sit. Si semper gravitatis legibus subiectae atomi se movissent, nec se tetigissent nec mundum efficissent. Cum vero atomorum concursione mundus creatus esset, statuit, necesse esse quasdam atomos de recta linea aberrasse aliasque tetigisse. Declinandi autem nulla alia

---

[40]) **Mullachius: Democriti Abderitae operum fragmenta. pg. 381. 382.**
[41]) **Hirzelius l. l. pg. 162.**

fuit causa quam casus. Conferantur cum hac explicatione verba Ciceronis, quae sunt in primo de finibus libro VI. 20 „ipsa declinatio ad libidinem fingitur, (ait enim declinare atomum sine causa: quo nihil turpius Physico, quam fieri sine causa quidquam dicere) et illum motum naturalem omnium ponderum, ut ipse constituit, e regione inferiorem locum petentium, sine causa eripuit atomis: nec tamen id, cuius causa haec finxerat, assecutus est.“ Inde patet, id quod luce clarius est, declinandi voluntatem non fuisse in atomis. Namque si voluntatem habuissent innatam, dicere non potuïsset Epicurus, eas sine causa aberrasse. Quod cum ita sit, nullum esse potest vinculum inter primam atomorum declinationem hominumque liberam voluntatem. Ne hoc quidem poni potest, simili casu atomos, e quibus anima constat, se vertere posse ad simulacra in mentem incurrentia, inde cum minime sequatur, voluntatem esse liberam, sed in casu positam. Cf. Ueberwegius l. l. pg. 207: „Der Wille wird durch die Vorstellungen angeregt, aber nicht mit Nothwendigkeit bestimmt. Die Willensfreiheit ist die Zufälligkeit (Unabhängigkeit von Ursachen) in der Selbstbestimmung.“ Hoc autem malum vitiumque est Epicuri philosophiae, quod sine causa aliquid factum esse docuit: „Hier hat das System Epikurs eine (neue) Lücke. Lucrez löst das Räthsel, oder zerhaut vielmehr den Knoten durch Hinweisung auf die willkürlichen Bewegungen der Menschen und der Thiere.“ (Lange l. l. pg. 46). Atque equidem, quantum coniectura assecutus sum, pronuntiare non dubito, Epicurum ipsum liberae voluntatis praesidium ab atomis declinantibus non petiisse. Alia enim ei praesto fuit via, qua hanc libertatem potuit explicare atque defendere. Quodsi declinationem illam sine causa ortam scriptores in ipsis atomis tamquam declinandi voluntatem videmus collocasse, in eos bene quadrant, quae Ueberwegius ad Democriti philosophiam annotavit (pg. 24): „Wohl nicht die Atomistiker selbst, sondern erst Spätere haben die Ursachlosigkeit zu einer Art von Ursache oder wirkendem Wesen (τὸ αὐτόματον) hypostasirt.“ Mutataeque in hunc modum Epicuri philosophiae testis mihi videtur exstare Stobaeus. Loci de atomorum

declinatione sunt hi: I 206: κατ' ἀνάγκην, κατὰ προαίρεσιν, κατὰ τύχην. 346: κινεῖσθαι δὲ τὰ ἄτομα τότε μὲν κατὰ στάθμην, τότε δὲ κατὰ παρέγκλισιν, τὰ δὲ ἄνω κινούμενα κατὰ πληγὴν καὶ ἀποπαλμόν. (Plut. pl. phil. I 12. 5.) 394: Ἐπίκουρος δύο εἴδη κινήσεως, τὸ κατὰ στάθμην καὶ τὸ κατὰ παρέγκλισιν. εἰσὶ δέ τινες, οἱ καὶ τέταρτον εἶδος εἰσάγουσι τὸ κατ' οὐσίαν ὅπερ ἐστὶ τὸ κατὰ γένεσιν. ἄλλοι δὲ καὶ τὴν διανοητικὴν προστιθέασι, μέχρι γὰρ τῶν πέντε προύβησαν. (Pl. phil. I 234.) Monendum est etiam, apud Diogenem Laertium nullum inveniri locum, ex quo possit colligi, Epicurum liberae voluntatis defendendae causa atomorum declinationem induxisse. Multus autem est Lucretius in hac doctrina explicanda, multus porro est Cicero in libro de fato X 22. 23 et in primo de natura deorum XXV 69 in ea reprehendenda, quam in libro primo de finibus VI, ubi de eadem re disserit, ne commemorat quidem, obiterque eam tangunt Philodemus περὶ σημείων καὶ σημειώσεων (col. 36. 11) et Plutarchus (De sollertia animalium 7). Horum de auctoritate et de fontibus, quibus usi esse videantur, fusius exponemus, postquam nostram de libera voluntate, qualem Epicurus docuerit, sententiam protulerimus prolatamque argumentis confirmaverimus.

Manifestissimum testimonium, ex quo apparet, Epicurum libertatem voluntatis animantibus voluisse tueri, est locus notissimus apud Diogenem Laertium: τὸ δὲ παρ' ἡμᾶς ἀδέσποτον. Concedendum sane est Hirzelio et Woltjero multo rectius philosophiam decursuram fuisse, si praeeunte Democrito Epicurus libertatem illam e rerum natura abstulisset. Cum magistri doctrinam in eo sequeretur, ut praeter atomos et inane nihil esse diceret, admirabilis huius doctrinae causam in discrimine positam esse putamus, quod inter magistri discipulique de animae natura placitum intercedit. Democritus enim animam nisi extrinsecus im-

pulsam se non posse movere docuit[42]), Epicurus autem facultatem ei adtribuit, qua ipsa se ciere posset, *πρόληψιν*. Quae sit vis *προλήψεως*, ut dilucide appareat, res paulo altius repetenda est.

Sensuum auctoritatem Epicurei ubique secuti sunt, quippe quos non posse errare existimarent: *πάντα ἔλεγε τὰ αἰσθητὰ τοιαῦτα ὑποκεῖσθαι ὁποῖα φαίνεται καὶ κατ᾽ αἴσθησιν προσπίπτει, μηδέ ποτε ψευδομένης τῆς αἰσθήσεως.*[43]) Probata autem sententia sensus veraces esse omniaque sensibus percepta, ne omnis quae ex eis penderet ratio concideret, veri nuntios esse, non adeo experientiae repugnare ausi sunt, ut nos nunquam posse errare dicerent. Quod quidem placitum eo tueri et cum sensuum veracitate coniungere studuerunt, quod errorem non tam sensibus, quam menti tribuerunt[44]). Vix est quod moneam hoc loco parum sibi constare Lucretium, cum totam mentem seu rationem a sensibus ortam esse explicat:

IV 482 „quid maiore fide porro quam sensus haberi
„debet? an ab sensu falso ratio orta valebit,
„dicere eos contra quae tota ab sensibus orta est?
„qui nisi sunt veri, ratio quoque falsa fit omnis."

Sed quam Lucretio opprobrio vertimus inconstantiam, in eam ideo potissimum poetam philosophantem delapsum esse putamus, quod *προλήψεως* nullo loco mentionem faceret. Quomodo cumque haec res se habet, ex sensuum quae dicunt mendaciis apparet, vinculo quodam cum mente sensus esse consociatos. Quale autem sit illud vinculum cum per se non pateat nec Lucretius quidquam de eius ratione docuerit, accuratius in cohaerentiam sensuum cum animo nobis inquirendum est, praesertim cum eam viri docti plane

---

[42]) *οἰηθέντες δὲ τὸ μὴ κινούμενον αὐτὸ μὴ ἐνδέχεσθαι κινεῖν ἕτερον, τῶν κινουμένων τι τὴν ψυχὴν ὑπέλαβον εἶναι.* Aristoteles *περὶ ψυχῆς* I. 2

[43]) Sextus Empiricus adv. math. VIII 185 pg. 327.

[44]) De hac doctrina disseruit Hoefer: Zur Lehre von der Sinneswahrnehmung im 4. Buche des Lucrez. Seehausen 1871. pg. 20.

neglexerint[45]). Woltjer quidem quamquam recte vidit, docere Lucretium oculos ipsos videre, aures ipsas audire, denique corpus ipsum sentire, sed animo nos horum affectuum conscios fieri, qua ratione hoc fieret, non investigavit.

Ut sola de videndi ratione dicamus, Lucretius docet ab omnibus rebus perpetuo „rerum effigias tenuisque figuras" celerrime fluere oculique aciem ferire.[46]) Iam cum animi auxilio opus sit ad visum perficiendum haud scio an quis facile ad hanc sententiam possit adduci, ut eadem putet simulacra, quae oculos lacessiverunt, per corpus in animum obrepere pulsuque efficere, ut animus sciat, quid videant oculi. Quod quam absurdum sit, demonstrant verba Lucretii, quibus docemur, simulacra quae animum feriant multo tenuiora esse quam quae oculos percipiunt.

IV 724: „principio hoc dico rerum simulacra vagari
„multa modis multis in cunctas undique partis
„tenuia, quae facile inter se iunguntur in auris.
„quippe etenim multo magis haec sunt tenuia textu
„quam quae percipiunt oculos visumque lacessunt,
„corporis haec quoniam penetrant per rara cientque
„tenuem animi naturam intus sensumque lacessunt."

Illae igitur rerum figurae, quibus in ipsis oculis visus efficitur, crassiores sunt, quam quae per corpus ad animi sedem penetrare possint, nec animus subtilis earum pulsum tolerare potest, „quin omnia dissoluantur." Porro oculorum mendaciis, quae dicimus, luce clarius efficitur, easdem figuras animi sensum non posse lacessere. Etenim cum docent Epicurei, non oculos errare, sed animum, sequitur, ut figurae, quae a rebus fluxerunt, veram rerum imaginem aciei imprimant ipsique oculi tales cernant res, quales re vera sunt. Quodsi eadem simulacra animum incitarent, animus non posset

---

[45]) Zeller l. l. 361: „Vernunfterkenntniß ist ganz und gar von der sinnlichen abzuleiten." 364: „Die Gedanken ergeben sich seiner Meinung nach von selbst aus den Wahruehmungeu."

[46]) Diog. Laert. X 48. Orellii fragmenta supra laudata col. I et IV. Lucr. IV. 42.

falli: ne hoc quidem potest probari, quod Lucretius docet, animum de suo ad sensuum perceptiones aliquid adicere. IV 463: „quae violare fidem quasi sensibus omnia quaerunt,
„nequiquam, quoniam pars harum maxima fallit
„propter opinatus animi, quos addimus ipsi
„pro visis ut sint, quae non sensibus' visa:
„nam nil aegrius est, quam res secernere apertas
„ab dubiis, animus quas ab se protinus addit."

Addere enim de suo animus nihil potest, nisi προλήψεις; quae, cum et ipsae verae et veritatis indicia sint, a vero non possunt in errorem inducere. Quam ob rem duo simulacrorum genera eodem tempore ab omnibus rebus perpetuo fluere crediderim, quorum alterum oculorum pupulas incitet, alterum in animum obrepat. Hoc si recte video, qua ratione animus fallatur manifestum est. Fit enim, ut tenuiora illa simulacra aeris pulsu mutilentur mutilataque falsam rerum imaginem in animum deferant, dum firmiora aeri possint obstare oculisque veram speciem imprimant. Quapropter saepe ita res, ut non sunt, nos credimus cernere — oculi enim non errant — et cum animi demum auxilio videndi conscii fiamus, in errorem incidimus atque in eo perseveraremus, nisi praesto essent προλήψεις. Simulacrorum enim incursione quae in animo latent simulacra eiusdem seu similis generis denuo promuntur atque his comparatis cum adventiciis, quid verum, quid falsum sit animus potest diiudicare. IV 383. 384:
„hoc animi demum ratio discernere debet,
„nec possunt oculi naturam noscere rerum."

Neque vero omnium animi pari discernendi facultate praediti sunt: quorum enim mentes non sat multis anticipationibus instructae sunt, ei in multos errores incidunt, quorum autem mentes eis abundant, ei vel de subtilissimis rebus iudicare possunt rerumque naturam penitus cognoscunt Nisi hac explicatione accepta, Lucretii de sensuum ludibriis doctrinam satis posse intellegi vix putarim. Unum iam liceat hoc loco Lucretianum exemplum paucis perstringere, quippe in quo illustrando parum sibi videatur philosophus constitisse. Sunt libri quarti versus 353 sqq.:

„quadratasque procul turris cum cernimus urbis,
„propterea fit uti videantur saepe rotundae,
„angulus optusus quia longe cernitur omnis,
„sive etiam potius non cernitur ac perit eius
„plaga nec ad nostras acies perlabitur ictus,
„aera per multum quia dum simulacra feruntur,
„cogit hebescere eum crebris offensibus aer.
„hoc ubi suffugit sensum simul angulus omnis,
„fit quasi ut ad tornum saxorum structa tuamur;
„non tamen ut coram quae sunt vereque rutunda,
„sed quasi adumbratim paulum simulata videntur."

Ex hoc exemplo quamquam dilucide apparet, oculos falli, cum simulacra ad acies ferantur obtruncata eisque non vera turris imago infigatur, Lucretius tantum abest, ut hanc sententiam comprobari velit, ut alio exemplo interposito pergat: „nec tamen hic oculos falli concedimus hilum."

Quomodo hoc cum tota doctrina congruat, alii viderint qui Lucretium philosophum versificantem laudibus celebrare non desistunt.

Sed ut redeat oratio unde deflexit, eis quae de anticipationibus disseruimus demonstrasse nobis videmur, πρόληψιν ab Epicuro in philosophiam inductam esse ad tenuissima ea simulacra, quorum incursione cogitamus, excitanda atque conferenda neque quidquam anticipationes valere ad eas figuras, quae oculos ceterosque sensus lacessunt. Atque haec nostrarum cogitationum parens gubernatrixque maximi est momenti ad libertatem voluntatis defendendam. Sine ulla enim dubitatione confirmaverim, voluntatem ex Epicureorum sententia non esse, ut ita dicam, causam primariam, sed secundariam eamque ex cogitatis oriri, id quod Lohmannus in dissertationis capite altero videtur neglexisse. Lib. IV 881 sqq.:

„dico animo nostro primum simulacra meandi
„accidere atque animum pulsare, ut diximus ante.
„inde voluntas fit: neque enim facere incipit ullam
„rem quisquam, quam mens providit quid velit ante.
„id quod providet, illius rei constat imago."

V 183. „quid vellent facere ut scirent animoque viderent.“ (Conferas etiam velim Zellerum pg. 390: „Aus dem Vorstellen geht auch das Wollen und Handeln hervor, indem die Seele durch die Vorstellungen in Bewegung gesetzt wird und diese Bewegung sich von ihr aus dem Körper mittheilt.“)

Cum Epicurus de voluntatis ratione non accurate videatur disseruisse (Zeller 390. 392), a vero non multum aberrabimus, si ex Epicuri sententia voluntatem nihil aliud esse quam rerum cogitatarum effectum existimabimus. Cuiusque generis simulacra quamquam et omnibus locis et omni tempore in animum penetrant, animus eis cogitare non cogitur, nedum velle, cum *προλήψεως* sit aut discernere corpore efficiatur quod praebet simulacrum necne, aut adiectis simulacris, quae in animo latent, adventicia variare et corrigere. Quapropter pendens ex simulacris voluntas animantibus libera est. Mirum quantum nostra haec explicatio paucis illis verbis confirmatur, quae exstant in fragmentis Herculanensibus. Ex his cum Gompertius elicere studuisset, Epicurum libertatem voluntatis non docuisse, rectissime a Zellero v. ill. convictus est. Etenim verba — „*οὐδὲ ἀπολείπει τά πάθη τοῦ γίνεσθαι νουθετεῖν τε ἀλλήλους καὶ μάχεσθαι καὶ μεταρυθμίζειν ὡς ἔχοντας καὶ ἐν ἑαυτοῖς τὴν αἰτίαν καὶ οὐχὶ ἐν τῇ ἐξ ἀρχῆς μόνον συστάσει καὶ ἐν τῇ τοῦ περιέχοντος καὶ ἐπεισιόντος κατὰ τὸ αὐτόματον ἀνάγκῃ. εἰ γάρ τις καὶ τῷ νουθετεῖν καὶ νουθετεῖσθαι τὴν κατὰ τὸ αὐτόματον ἀνάγκην προσνέμοι* — (Pap. 1056. 21) nullam relinquunt dubitationem. Hinc Woltjer (pg. 101) haec annotavit: „Nisi animus ipse sui quid addat ad extrinsecus illatas imagines, non intelligit, qui cogitationes in nobis inter se pugnare possint, qui aliam potius quam aliam sequamur.“ Atque verba (Pap. 1056. 23) — „*ζητήσει δ' ἡ διάνοια εὑρεῖν τὸ ποῖον οὖν τι δεῖ νομίζειν τὸ ἐξ ἡμῶν αὐτῶν πραττόμενον ἢ προθυμούμενον πράττειν*“ — idem homo doctus ita explicat: „Natura

eius, quod ipsi addimus, est investiganda. Quid autem de natura eius, quod ad impulsus exteros ipsi addimus, iudicarit Epicurus, cognosci non amplius potest." Mihi quidem non difficile videtur esse intellectu, quid ipsi ad incurrentia simulacra addamus, *προλήψεις* scilicet, quarum auxilio nostras cogitationes animus potest moderari. Huc referendi sunt versus Lucretiani lib. II 277 sqq:

„iamne vides igitur, quamquam vis extera multos
„pellat et invitos cogat procedere saepe
„praecipitesque rapi, tamen esse in corpore nostro
„quiddam, quod contra pugnare obstareque possit."

Hoc loco observasse sibi visus est Woltjer, sibi Lucretium non constare in doctrina de libertate voluntatis, cum in libro IV voluntatem suam habere causam, hoc loco eam liberam esse doceret. „Si contra pugnare obstareque volo vi extimae quae me propellit, primum simulacra resistendi in animum meum penetrare debent, quae voluntatem obstandi excitent." Nuper hanc sententiam impugnavit Lohmannus (Quaestionum Lucretianarum capita duo. Berol. 1882 pg. 50 sq.) Sed cum Woltjerum errasse demonstrare studeret, mihi suam sententiam non probavit. Maximusque eius error is videtur esse, quod in libro quarto de libertate voluntatis doctrinam tangi negat. „Neque enim quaeritur, inquit, utrum simulacris cogamur ire an eis possimus resistere, sed ponitur nos velle ire; de ratione igitur sive de facultate meandi agitur." Lucretii verba sunt haec:

„nunc qui fiat uti passus proferre queamus
„cum volumus varieque datum sit membra movere,
„et quae res tantum hoc oneris protrudere nostri
„corporis insuerit dicam — "

Concedendum sane est Lohmanno, Lucretium in animo habere explicare, quomodo, quid velit animus, corpore efficiatur. Atque ut poetarum mos est, huius rei ratione omissa, ipsam rem illustrat exemplo: meandi. Antequam autem incessum describat, quare incedendi voluntas (cum volumus) in animo oriatur docet:

„dico animo nostro primum simulacra meandi

„accidere atque animum pulsare, ut diximus ante.
„inde voluntas fit: neque enim facere incipit ullam
„rem quisquam, quam mens providit, quid velit ante.
„id quod providet, illius rei constat imago."

Ex his minime apparere iudicarim „poni nos velle ire". Explicata autem ratione qua meandi voluntas fiat, inde a versu 886 ponitur nos velle ire:

„ergo animus cum sese ita commovet, ut velit ire
„inque gredi ferit extemplo, quae in corpore toto
„per membra atque artus animai dissita vis est."

Neque mira mihi videtur interrogatio in initio versuum „qui fiat uti passus proferre queamus, cum volumus", „si volentes tamen non possemus." Namque, si quid video, non quaeritur, cum volumus, passus proferre queamus necne, qui enim procedere vult, procedere potest, nisi vi extera impeditur, quomodo autem hoc faciat seu facere possit, id quaeritur. Recte tamen homo doctus vidit meandi simulacris nos non cogi ire, displicent autem verba quae sequuntur „sed cum volumus ire ad ea nos contendamus et paremus necesse est." De vi qua intendat se animus ad ea simulacra, quibus percelli velit, supra exposuimus eamque doctrinam in levibus fundamentis positam esse diximus. Neque hoc satis poterit explicari, unde sit haec eundi voluntas (cum volumus ire). Bockemuelleri quidem expositio nihil valet: „Der Wille an sich ist dem Geiste von vornherein eigenthümlich." Ea enim repugnant, quae supra de voluntatis ratione ex Epicuri quidem sensu exposuimus,[47]) neque ullum eiusmodi doctrinae apud nostrum philosophum vestigium exstat. Ut etiam hoc addam, si voluntas meandi in animo inest, quid sibi volunt meandi simulacra, quae eum excitent? Cum enim omnes animi exercitationes nihil aliud sint ac motus, si animus corpus meare vult, iam movetur, neque simulacrorum auxilio opus est, ut motus efficiatur. Sed ne diutius moremur in re satis aperta, videamus de versu 883:

„inde voluntas fit."

---

[47]) Confer etiam Hirzelius l. l. pg. 163 Anm.

Hunc locum, quem suae sententiae obstare videret, Lohmannus ita explicare conatus est: „His confirmari potest nulla sententia nisi haec: simulacra meandi animum nostrum pulsant: inde potestas fit. Non quo depravata sit scriptura quae traditur, sed explicatum habet, dummodo poetam statuas ita cogitasse: simulacra pulsant animum: inde voluntas fit, quia non sine eis fieri potest." Atque recte se habet haec interpretatio, si quidem verum est, voluntatem meandi iam esse in animo, si minus, id quod addubitari nequit, ipsa corruit. Quod cum ita sit, de libertatis voluntate quaestionem in libro quarto eo putamus tangi, quod Lucretius voluntatem non liberam esse videatur docuisse. Recte igitur Woltjer observavit, Lucretium sibi contradicere. Non recte tamen idem vir doctus censuit, ut iam ad librum secundum redeamus, ad resistendum resistendi simulacra esse necessaria. In his enim versibus:

„tamen esse in pectore nostro"

„quiddam quod contra pugnare obstareque possit" doctrinam de anticipationibus latere opinor, quibus animus, etiamsi simulacra non in eum incurrunt, potest resistere. Namque ubi corpus vi extera propellitur, meandi simulacra quaeque ad meatum pertinent, excitantur et animus inter ea discernit, meare velit an resistat. Inde fit, ut, nulla causa extrinsecus allata, animus „contra pugnare obstareque" possit.

Hanc autem inconcinnitatem Lucretio opprobrio vertere nefas esse putamus. Constat enim ipsum Epicurum totam physicen tamquam ancillam ethices habuisse et a canonica quam maxime se abstinuisse. Quid igitur mirum, quod Lucretius in hac doctrina luxuriari noluit, quae cum omnino difficilis sit explicatu, tum a poetarum dicendi genere vehementer abhorreat, et satis habuit, primoribus labris eam degustasse et quasi in transcursu gravissima doctrinae indicia in carmine tetigisse. Ex duobus enim locis inter se collatis mera Epicuri doctrina potest colligi, cum alter ostendat, voluntatem cogitationibus, id est simulacrorum incursione, oriri, alter animum vim habere, qua his simulacris possit obstare. Tamen si quis illam diversitatem carmini a poeta

non perfecto tribuendam esse putabit, nihil habebo, quod contra dicam. De carminis autem Lucretiani statu adnéctere libet luculenta Purmanni verba: „erscheint sein Werk auch in vielem groß und bewunderswerth, so ist es doch nur einer Bildsäule gleich zu achten, die von kühner Hand aus dem Steine theilweise herausgehauen uns weniger bewundern läßt, was sie schon ist, als was sie würde geworden sein, hätte der Künstler mit gleichem Muth und mit gleicher Energie sein Werk zu Ende geführt.[48])

Patefacta atque explicata via, qua Epicurus libertatem voluntatis non modo tueri potuerit, sed etiam, si recte iudico, defenderit, restat, ut quemadmodum erat propositum in fontes inquiramus, qui tradunt philosophum libertatem illam a declinantibus atomis voluisse repetere. Antequam autem ipsam rem aggrediamur, in memoriam revocanda sunt, quae iam supra diximus. Cum neque apud Diogenem Laertium, Plutarchum, Stobaeum huius cohaerentiae vestigium exstaret, neque omnino Epicuro causa esset, cur ad eam confugeret, coniecimus magistrum ipsum ab atomorum aberratione libertatem voluntatis non petiisse, assectatores autem eius disciplinae ad eam recurrisse, qua principiorum declinationem defenderent. Ipse enim Epicurus nihil aliud aberratione sine causa orta effici voluit, quam ut atomi, Democriti necessitate e rerum natura sublata[49]) inter se cohaerescerent. Nihil autem turpius visum est adversariis, quam sine causa quidquam fieri docere. Itaque mirum non est, quod discipuli ad commenticiam illam rem tuendam ab animantium libidine auxilium petiverunt atque eadem ratione, qua animantes sua sponte sese possent movere, atomos ipsas, e quibus illi constarent, ab initio se movisse statuerunt. Quamquam non ignoro plerosque viros doctos in eo consentire, ut Epicuri philosophiam ab eius asseclis non esse mutatam dicant, non video, quibus causis haec sententia satis possit

---

[48]) Neue Beiträge zur Kritik des Lucretius. Pforta 1849.

[49]) Steinhart. l. l. pg. 474 Anm.: „Epikur scheint auf dies Argument das meiste Gewicht gelegt zu haben."

comprobari. Namque ne pluribus dicam, verisimile non esse a tanta assectatorum copia Epicuri doctrinam non esse immutatam, nihil adiectum, nihil emendatum, nihil denique corruptum, eius auctae atque amplificatae doctrinae indicia exstant apud Hirzelium (l. l. pg. 17. 98. 108 „Differenzen in der epikureischen Schule"). Neque fugit viros doctos[50]) Lucretium multo magis quam Epicurum in atomorum declinatione animantium liberam voluntatem videri praedicasse. „— cum iam Epicurus hac potissimum de causa suum de declinatione atomorum commentum excogitavisset, ut liberam voluntatem Democriti necessitate sublatam hominibus vindicaret, multo maius etiam momentum Lucretium huic decreto tribuisse videmus. Diserte enim principium liberae voluntatis in ipsis ponit primordiis."[51]) Atque plus etiam in hac re profecit Bindseilius[52]): „Lucretius cum atomorum declinationem inducit, minus necessitatis quae est in fato metu quam liberae hominum voluntatis tuendae studio ducitur. Epicurus autem illam de atomorum declinatione doctrinam potissimum hoc consilio commentus est, ut fatum removeret, cui omnia subiectum iri censuit, si ordinata ac sempiterna causarum serie regerentur."

Hoc igitur posito et concesso ad eos scriptores accedamus, qui Epicurum docuisse cohaerentiam liberae voluntatis cum atomorum declinatione auctores sunt. Atque ut a Cicerone ordiamur, cum in aliis historiae philosophae partibus tum in Epicuri doctrina explanata aequitatem eius ac fidem desideramus. Haec inconstantia atque infirmitas inde orta est, quod Cicero rivulos[53]) sequi quam ex fontibus ipsis haurire maluit. Epicuri ipsius scripta eum non perlegisse satis constat. (Cf. Woltjerum l. l. pg. 87.) Notitiam autem Epi-

---

[50]) cf. pg. 27. 28.

[51]) Hildebrandius: T. Lucretii de primordiis doctrina. Magdeburg 1864. pg. 5.

[52]) Quaestiones Lucretianae. Anclam 1867. pg. 10.

[53]) Cf. Teuffel: Roem. Litt. pg. 327. 330. — „also lauter späte, zum Theil unreine Quellen."

curi disciplinae Marcus habuit e Zenone, Phaedro, Philodemo Epicureis nec non Philonis Academici adversaria in suum usum convertit.[54]) Sequitur, ut hi omnes nexum esse voluerint inter declinationem principiorum hominumque libidinem. Atque etiam si coniecturae indulgere liceat, ad primos usque Epicuri assectatores redeundum est, si illius doctrinae auctores cognoscere volumus. Etenim cum legamus apud Ciceronem (de fato XI 23) „acutius Carneades qui docebat posse Epicureos suam causam (sc. libidinem) sine hac commenticia declinatione defendere. Nam cum doceret, posse esse quemdam animi motum voluntarium, id fuit defendi melius quam introducere declinationem, cuius praesertim causam reperire non possunt" coniecerim, qui aut Carneadis Academici aetate aut ante eum Epicuri philosophiam propagaverint, discipulos magistri doctrinam confudisse et cohaerentiam illam statuisse. Quod pronuntiasse satis habemus, ne in vanas coniecturas incideremus. Illud autem minime mirum est, quod traditum non est, Epicuri philosophiae talem commutationem factam esse, qualem ostendimus. Constat enim discipulos, qui nihil antiquius haberent, quam ut auctorum placita integra atque incorrupta exhibere viderentur, quae ipsi adderent quaeque mutarent magistris ipsis supposuisse. (Exemplum luculentum praebet disciplina Pythagorae.) Postquam Ciceronem non ubique fide dignum testem esse diximus, ad Plutarchum transeamus. Eius pauca atque obscura verba non maiorem scrupulum quam Ciceronis indicia nobis iniecerunt. Quamquam de fontibus, quibus usus sit Plutarchus, certi nihil constat, sine ulla dubitatione dixerim, ad ipsius Epicuri scripta eum non rediisse, cum nostri philosophi physica obiter tantum et quasi in transcursu tangeret. (Volkmannus l. l. pg. 33 II.) Atque haec quidem hactenus!

Licet quae hucusque de fontibus disputaverimus nitantur argumentis infirmioribus, quam quae per se possint pro-

---

[54]) De fontibus Ciceronis quaesiverunt Krischeus in libro „Die theologischen Lehren der griechischen Denker." pg. 10. 20 et Hirzelius l. l.

bari, atque omnino desperandum sit, quidquam certius de hac re posse proferri, nostram de voluntatis libertate, quam Epicurus docuerit, sententiam propterea potissimum praeferendam esse existimamus, quod non debuisse comprobavimus philosophum eam ab atomis declinantibus repetere, nedum ipsis primordiis voluntatem declinandi imponere.

VITA.

MAXIMILIANUS EICHNER natus sum Soraviae in Lusatiae oppido a. d. VI Kal. Sept. anni h. s. LVIII patre Carolo Friderico quem ante hos quinque annos morte mihi ereptum esse magno opere lugeo, matre Henrietta, e gente Pittius, quam bona adhuc valetudine uti gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis imbutus gymnasium urbis patriae Liebaldtio rectore frequentavi ibique pôstquam autumno anni h. s. LXXVIII maturitatis testimonium consecutus sum Berolinum in almam litterarum sedem transmigravi studiis philologis et philosophis operam navaturus. Per octo semestria docuerunt me v. v. ill. H. Droysen, Geiger, Huebner, Kiepert, Kirchhoff, Lasson, Muellenhoff, Mullach, Paulsen, Schmidt, Seeck, Steinthal, Vahlen, Wattenbach, Zeller. Benigne concessit Aemilius Huebner, ut per ter sex menses exercitationibus philologicis interessem. His viris omnibus de me optime meritis hoc loco gratias ago maximas.

Sententiae controversae.

I.

Lucr. III 744 sqq. „cur omnia membris
ex ineunte aevo generascunt ingenioque
si non certa suo quia semine seminioque e. q. s.
legendum est „generascunt inque gravescunt.“

II.

Lucr. III 876 pro „et unde“ scribendum existimo „abunde“.

III.

Lucr. V 1010 mihi probatur coniectura Antonii Marii f.
„nunc dant letum sollertius ipsi.“

IV.

Tibull. I. V. versus 37—76 non referendi sunt ad carmina in Deliam.

V.

Qui discipulis erudiendis se dedunt semper teneant necesse est Ciceronis illud de inv. XLI 76
„omnibus in rebus similitudo est satietatis mater.“